

tesimo sexagesimo secundo Tertio Nonas
Octobris Pontificatus nostri Anno V.

XIII.

Prohibitio prædicandi, disputandi, aut
suadendi, hæreticum, vel peccatum,
esse, credere, JESU CHRISTI Sanguinem,
in triduo suæ passionis, ab ipsa
Divinitate, divinum, vel non divinum
fuisse.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ineffabilis summi providentia Patris ad
hoc nobis, quamvis immeritis univer-
salis Ecclesie regimen pia dignatione com-
misi, ut tamquam de summo vertice ad
infima refluens intuitum, quid pro sacre
Religionis expediat propagatione felici, &
qualiter illius multiplicatis plantationibus
Religio ipsa floride dilatetur, solertius in-
tendamus, omnemque inquietudinis, &
molestia omnemque subtrahamus, sicque
statui omnium Religiosorum in humilitate
Altissimo famulantium, opportune
providemus, quod omnibus ab ipsis sub-
stantis molestiis, in Religionis observantia,
jugiq; perseveratione quietius intendere
valeant.

Quidam tene-
bant sanguine
Christi, in
triduo passio-
nis ab eius Di-
vinitate fuisse
divinum. Et
alii contrari-
um affirmab-
ant.

§. 1. Sane, cum dudum inter dilectos
filios Prædicatorum, & Minorum Ordinum
Fratres (favore zizanie operante)
super eo quod eorum aliqui in ipsorum
prædicationibus pretiosum Sanguinem Do-
mini nostri Jesu Christi in triduo passionis
ejusdem separatim fuisse ab ipsius sanctissi-
ma Divinitate alleverabant, alii vero fore
contrarium tenebant, dissonis materia
exorta foret, ex qua ad tantam inter eos
altercationem, ut accepimus, deventum
extitit, ut facile mentibus fidelium posset
scandalum generari. Et licet alias Nos ad
obviandum prædictis, auditis iis quæ circa
præmissa utraque pars dicebat, & alle-
gabat, silentium imposuerimus, ac ma-
teriam ipsam indiscussam de hujusmodi du-
bietate amplius disceptationem aliquam
fieri non debere; quia tamen verendum
foret, ne ex contrarietate prædicta, in-
mentibus eorumdem Christi fidelium ali-
quid scandali ad eorum animas illaquean-
das evenire possit, matura præmeditatione
curavimus omnibus sinistris eventibus
præmissis, prout ex debito Pastoralis officii
adstringimur, obviare.

Hic ergo Pon-
tiffex de hoc
prædicato, &
disputari pro-
hibet.

§. 2. Ut igitur in Ecclesia Dei ortho-
doxæ fidei unitas præservetur, & de cetero
tollatur occasio in hujusmodi controver-
sias incidendi, auctoritate Apostolica te-
nere præsentium statuimus, & ordinamus,
quod nulli Fratrum prædictorum deinceps
liceat de supradicta dubietate disputare,
prædicare, vel publice, aut private ver-
bum facere, seu aliis suadere, quod vi-

delicet hæreticum, vel peccatum sit, te-
nere, vel credere, Sanguinem ipsum sa-
cratissimum, ut præmittitur, triduo pas-
sionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi,
ab ipsa Divinitate quomodolibet fuisse,
vel non fuisse divinum, vel separatim,
donec super dubietatis hujusmodi decisio-
ne, quid tenendum sit, fuerit per Nos,
& Sedem Apostolicam definitum.

Contrave-
nientibus pe-
nas imponit.

§. 3. Mandantes propterea universis,
& singulis eorumdem, & aliorum quo-
rumcumque Ordinum per totum Orbem
constitutis Fratribus, cujuscumque status,
gradus, vel conditionis existant, præsen-
tibus, & futuris, sub excommunicationis
late sententiæ poena, quam ipso facto in-
currant, & a qua nisi in mortis articulo,
constituti, nisi per Nos, aut successores
nostros, absolui possint, ne contra statu-
tum, & ordinationem nostram prædictam
venire, aut facere, vel tentare quoquo
modo præsumant.

Et Sedi Apost.
eos denunciari
jubeat.

§. 4. Necnon omnibus, & singulis præ-
dictorum, & aliorum Ordinum Prælati-
bus, ut in virtute sanctæ obedientiæ transgre-
ssores omnes, quos in poenam hujusmodi
incidisse, aut contra prædicta dixisse, vel
fecisse præsumperint, dignis poenis, diris-
que carceribus punire, & mancipare pro-
curent, ac Fratribus ipsi utriusque, seu
alterius Ordinis, de cetero sub eisdem
poenis, aliquem Fratrem, seu alium, hæ-
reticum propterea proclamare, aut heresi-
fis ex hoc labem incurrisse constiterit, il-
lum, vel illos, apud Sedem Apostolicam
denunciare teneantur, & debeant, quod-
que inter alias quascumque Ecclesiasticas,
secularesque personas, nullus Fratrum
Ordinum prædictorum, seu aliorum, ali-
quem de prædictis infamare, aut de illo
quomodolibet proclamare præsumat.

Fratresq; Præ-
dicatores, &
Minores mu-
tua cum dile-
ctione se tra-
ctare præcipit.

§. 5. Quinimmo, ut Fratres ipsi Præ-
dicatorum, & Minorum Ordinum hujus-
modi, mutuo se diligant, & cum charitate
pertractent, secundum Ordinum ipsorum
instituta, & Regularis observantiæ regu-
lam, sub poena præmissa auctoritate præ-
fata tenore præsentium injungimus: de-
cernentes ex nunc, omnes, & singulos
Fratres Ordinum prædictorum, qui præ-
dicta non observare, vel illis contrasacere,
vel venire studuerint cum effectu, ad om-
nes actus legitimos Religiosorum, & Or-
dinum ipsorum penitus inhabiles, & inca-
paces, necnon irritum, & inane, si secus
super his a quoquam quavis auctoritate,
scienter vel ignoranter contigerit atten-
tari.

Sandionem
penale adhi-
cit.
D. P. An. vi.
die 1. Aug.

§. 6. Nulli ergo, &c.
Datum Anconæ, Anno Incarnationis
Dominicæ, millesimo quadringentesimo
sexagesimo quarto; Kalendis Augusti,
Pontificatus nostri Anno VI.

PAU-

PAULUS SECUNDUS
PAPA CCXIII.
ANNO DOMINI MCCCCLXIV.



DIE 30. Augusti 1464. electus
est in summum Pontificem Pe-
trus Barbus Venetus S. R. E. Pres-
byter Cardinalis tituli S. Marci;
qui Pauli II. sumpto nomine ponti-
ficali thiaa redimitus est die 16. Se-
ptembris sequentis (a) Hic Petri Ca-
thedram tenuit An. VI. Mess. X.
dies XXVI. (b) temporibus Frid-
rici III. Augusti: ac tribus habitis
promotionibus, quibus decem Car-
dinales creavit, obiit Roma die 25.
Julii 1471. & sepultus est ad San-
ctum Petrum. Vacavit Sedes dies
XIV. (c)

(a) Ita Insuper in Diario inter Scriptores mediæ Aevi ab
Ecardo edito.
(b) A die electionis computandos.
(c) Exclusis extremis.

I.

Jurisdictione, & facultates Vicarii Papæ, in
Urbe, ejusque districtu.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Dominico Episcopo Tor-
cilano, in Alma Urbe in spiritualibus
Vicario nostro, Salutem, & Apostolicam
benedictionem.

Exordium.

Licet Ecclesiarum omnium universalis
cura, & populi Christiani regimen
ad vigilantiam nos inducant, Romana ta-
men Urbs inclita, quam caput Orbis di-
vina clementia stabilivit mentem nostram
solicitat, ut de ipsius statu prospero, &
salubri attentius, & diligentius ita procu-
remus, ut spiritualiter, & temporaliter
felicioribus successibus congruum recipiat
incrementum.

Deputatio Vi-
carii.

§. 1. De tua ergo laudabili vita, mor-
um gravitate, probata fide, & circum-
spectione, aliisque virtutum donis, quibus
personam tam præditam esse familiari ex-
perientia percipimus, firmam in Domino
spem gerentes, ac sperantes quod ea quæ
tibi committenda duxerimus, prudenter,
& fideliter exequaris. Te in præfata urbe
ejusque suburbis Diocæ, & districtu Vicari-
um nostrum in spiritualibus usque ad no-
strum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum,
cum honoribus, oneribus, fructibus, &
emolumentis consuetis, auctoritate Apo-
stolica tenore præsentium facimus, consti-
tuimus, & deputamus.

Elargitio Ju-
risdictionis.

§. 2. Tibique visitandi Ecclesias, Mo-
nasteria, & loca ecclesiastica, secularia,
& regularia quorumcumque Ordinum,
ipsius Urbis, etiam Ecclesias S. Laurentii,
Anastasi, S. Sebastiani, & S. Agnetis, &
alia Monasteria, & Ecclesias prope Urbem
ipsam exempta, & non exempta, & ipso-
rum personas, & eorum cujuslibet ipso-
rum excessus, & crimina multandi, cor-
rigendi, puniendi prout secundum Deum,
& justitiam videris expedire. Causas civi-
les, & criminales audiendi, excutiendi,
cognoscendi, & sine debito terminandi.
Conferendi quoque ecclesiastica Sacra-
menta, Ecclesias dedicandi, & eas vel earum
cæmeteria reconciliandi. Aliaque
omnia, & singula faciendi, gerendi, or-
dinandi, disponendi, exercendi, man-
dandi, & exequendi, quæ ad hujusmodi
Vicariatus officium de jure, vel consuetu-
dine pertinere noscuntur. Contradictores
quoslibet, & rebelles per censuram Ec-
clesiasticam personalemque coercionem,
& alia opportuna juris remedia, appella-
tione postposita compescendi, plenam, &
liberam auctoritate prædicta harum serie
facultatem concedimus, & potestatem ac
auctoritatem.

Tu ad ea vi-
de bullas in-
robr. indica-
tas.

Derogatio cæ-
traciorum.

§. 3. Non obstantibus si aliquibus Ec-
clesiis, Monasteriis, vel Ordinibus, eor-
umque personis a Sede Apostolica sit in-
dultum, quod capi seu detineri, aut in-
terdici,

Obedienti-
eidem Vica-
rio ab omni-
bus praestan-
da.

Haereticis ad
officium dili-
genter exe-
quendum.

Dat. P. A. r.
die 16. Sept.

terdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 4. Mandantes propterea omnibus, & singulis ad quos pertinet, & spectat, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, quatenus tibi in exequendis his quae ad officium tuum praedictum pertinere noscuntur, omnibus possibilibus assistant auxiliis, consiliis, & favoribus opportunis, tibi que pareant, & obediant prout nobis.

§. 5. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus officium Vicariatus huiusmodi devote suscipiens, sic illud prudenter, solcite, & fideliter exequaris, quod exinde sperati fructus animarum, sicut optamus, Domino concedente proveniant. Tuque praeter divinae retributionis mercedem quam inde mereberis, nostram, & Apostolicae Sedis gratiam uberius consequi merearis.

Nulli ergo, &c.
Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto Decimo sexto Kalendis Octobris Pontificatus nostri Anno I.

II.

De his quae observare debent Iudices a Sede Apostolica delegati, in causis alienationum bonorum Ecclesiasticorum.

De materia alienationum, dicam hic infra in consilii, s. Ambitiosa.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa consilii.

CUM in omnibus judiciis sit restitudo iustitiae, & conscientiae puritas observanda, id multo magis in concessionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de Christi patrimonio, & dispensatione pauperum, non de proprio cuiusque peculio agitur, vel tractatur. Quapropter oportet ut in examinandis huiusmodi alienationum causis, quae a Sede Apostolica in forma, si in evidentem utilitatem cedant, oneratis Ecclesiasticorum Iudicum conscientis delegantur, nihil favor usurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio praemii iustitiam conscientiamque subvertat.

Iudices delegati causam huiusmodi alienationum curent hic expressa.

§. 1. Monemus igitur, & sub interminatione divini iudicii omnibus Commissariis, & delegatis huiusmodi, districte precipimus, ut caute, & diligenter attendant causas in literis Apostolicis per supplicationes expressas, illasque solcite examinent, atque discutiant, testes, & probationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum praeculis habentes, omni timore, aut favore deposito, Ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in laesione,

aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant.

§. 2. Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiae suae prodigus, in gravamen, aut detrimentum Ecclesiae, per gratiam aut timorem, vel fordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat, Episcopus vero, aut Superior, ab executione officii per annum, noverit se suspensum, ad extimationem detrimenti Ecclesiae illati nihilominus condemnandus, sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari.

§. 3. Is vero, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuraverit, aut per fordes, vel impressionem, alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurret, a qua non nisi per Romanum Pontificem possit absolvi, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum, cum fructibus quandocumque de praemissis constiterit, condemnandus.

§. 4. Volumus autem, quod Legati, & Commissarii praedicti de poenis constitutionis nostrae specificè moneantur, & in quibuscumque literis, & commissionibus huiusmodi hoc statutum nostrum inferatur.

Nulli ergo, &c.
Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, 5. Idus Maii Pontificatus nostri Anno I.

III.

Gubernatores Civitatum, & aliorum locorum Status Ecclesiastici, munera (praeter esculenta, & poculenta quae triduo consumuntur) non recipiant. Officia per Papam conferri solita, non conferant. Exulesque, vel poenas, supra florenos sex, non remittant.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Munera excacare oculos sapientum, & pervertere corda iustorum, sacra Scriptura testatur. Unde ille laudatur, ille praedicatur beatus, qui post aurum non abiit nec argentum, & qui excutit manus suas ab omni munere, de quo Propheta testatur: quoniam ipse in excelsis habitabit, & monumenta saxorum, sublimitas ejus. Quod cum omnes facere conveniat, tum maxime servare oportet Apostolicos Legatos, & Gubernatores Provinciarum, Civitatum, atque Terrarum Romanae Ecclesiae subditarum, quos decet ceteris secularibus Magistratibus, iustitiae & integritatis exempla praebere, ut avaritiam

Contravenientes, poenas hic descriptas incurrant.

Complices quoque in ea incidunt.

In commissio- nibus hoc Stat. inferatur.

Dat. P. A. r. die 11. Maii.

Munus receptio apud Iudices Officialis, multa mala producit.

ritiam odiant, & munera super innocentes non cupiant. Sane ad nostram, non sine molestia animi, pervenit auditum, quod superioribus temporibus diversi Rectores, & Gubernatores Terrarum, & Provinciarum S. R. E. subditarum, & nonnulli Legati, etiam de latere, ad gubernationem ipsarum Terrarum, & Provinciarum, emissi, solitum quemdam sequentes abusum, munera a Provincialibus, & incolis locorum, publice, & privatim susceperunt, etiam in valis aureis, vel argenteis, vel equis, aut vicualibus, excedentes omnem modum, permissionemque canonicam, quae quidem non solum ipsis civitatibus, & provinciis graviora, & onerosa fuere, sed etiam exemplo turpia, & perniciosa opere comprobantur. Siquidem ipsis muneribus vel donis allecti, privatae gratiae, & factionibus potius, quam iustitiae studuerunt, multique criminosa gravia delicta, & flagitia pecunia redemerunt, atque (ut breviter circumscribamus) impletum est in perliquo propheticum illud, quod in eorum manibus iniquitas fuit, & dextera eorum repleta est muneribus, Siquidem B. Ildorus ait, Cito jugulabitur auro iustitia, nullamque reus pertimescet culpam, quam redimere nummis existimat.

§. 1. Volentes igitur talibus abusibus providere, & per Officiales, & Ministros Apostolicae Sedis, omnem integritatem munditiamque servari, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne quisquam deinceps Rectorum, aut Gubernatorum quorumcumque Officialium Romanae Ecclesiae, vel etiam Legatorum de latere, ad regimen, & gubernationem provinciarum, Civitatum, ac terrarum Romanae Ecclesiae deputatorum, vel deputandorum, a provinciis, Civitatibus, & terris quibus praesunt, vel officia exercent, nec a singularibus sitae legationi, regimini, vel gubernationi suppositis, aliquod genus muneris, nec aurum nec argentum, aut vestem, aut equum, vel aliud cuiuscumque speciei munus accipiat, praetereculenta, & poculenta, quae brevi tempore consumi possunt, quod tempus, ad biduum moderatur, alioquin tam dantes quam accipientes, etiam si Pontificali praesulgeant dignitate (dummodo non sint sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui in sacro Collegio, coram Nobis, sponte sua obtulerunt, & promiserunt, non recepturos huiusmodi munera) ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a quo absolvi non possint, nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti. Et insuper, omne id quod acceperint, & aliud tantumdem reddere teneantur.

§. 2. Mandantes ut omnes, & singuli Legati, Rectores, & alii officiales praedicti, priusquam ad sua admittantur officia, videlicet Cardinales Legati, in dicto Collegio coram Nobis promittere, inferiores vero in Camera Apostolica, de observanda huiusmodi constitutione nostra (quam perpetuo valere, & vim decretalis habere

Et huius bul- lae observan- tia ab eis ju- rari praecipit.

decernimus) juramentum prestare teneantur, quod etiam in forma juramentorum praestari solitum, adjuangi, & aservari mandamus.

§. 3. Insuper, ne sub occasione munerum, officia inferiora in ipsis provinciis, civitatibus, & terris, venalia reddantur, aut criminosa debitas poenas effugiant, vel multa pro debitis imposta, & fisco applicanda, in privatas utilitates redigantur, pari prohibemus edicto, ne Legati, & Gubernatores praedicti, Praeturas Civitatum, & alia inferiora officia, per Romanos Pontifices conferri, vel alias concedi solita, conferre, confirmare, aut de illis quomodolibet, sine speciali commissione nostra, vel successorum nostrorum ordinare praesumant. Pro his vero quae ad ipsorum Legatorum, vel Gubernatorum dispositionem, vel confirmationem pertinent, pro collatione officiorum, vel confirmatione nil accipiant, praeter moderatam mercedem secretarii, sive scriptorum, & sigilliferi, quam quidem in majoribus officiis, & civitatibus insignioribus, ad duos florenos de Camera, in minoribus officiis vel civitatibus minus insignibus, ad unum florenum, in minimis vero, seu castellis, dimidium florenum similem tantum, pro salario secretarii, scriptoris, & sigilli taxamus, & limitamus.

§. 4. Insuper prohibemus ne aliquos reos capitalium, aut exules, bannitos, & diffamatos sub poena capitis, absolvere, restituere, aut a poena liberare audeant, sine Romani Pontificis licentia speciali.

§. 5. Praeterea multas, & condemnationes pecuniarias, Camerae Apostolicae, de iure vel consuetudine applicari solitas, remittere non possint aut donare, nec de illis gratiam aut remissionem facere, nisi usque ad summam sex florenorum auri de Camera, in multa seu condemnatione, quamvis gravi.

§. 6. Revocantes omnes concessionem aut facultates, in genere vel specie, cuiusvis Legato, Rectori, vel Gubernatori concessas, in quantum praemissis adversentur, illasque pro infectis habentes, decernentes quicquid contra praemissa, & quodlibet praemissorum attentatum fuerit, nullius esse roboris vel momenti, & absolutiones, remissiones, donationes, & gratias quorumlibet Legatorum, Rectorum, & Gubernatorum, quacumque auctoritate fungentium, in futurum contra praemissa forsitan faciendas, nulli penitus suffragari.

§. 7. Mandantes hanc constitutionem nostram in omnibus Civitatibus Romanae Ecclesiae insignioribus, nunc, & singulis quibuscumque temporibus, in adventu novi Legati seu Gubernatoris, solemniter publicari, & ab omnibus inviolabiliter observari, ac de verbo ad verbum in libro ibidem aliquo authentico registrari, & conservari.

Nulli ergo &c.
Datum Romae apud Sanctum Mar- cum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo

Collationem officiorum a Papa conferri solitorum interdicit.

Bannitorumque remissionem.

Poenarum quoque condonationem.

Quibuscumque facultatibus concessis non obstantibus.

Tubet hoc hae- bullam publicari, & obser- vari.

Sensio po- nae. D. P. An. 2. 11. Martii.

Iesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, quindecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno II.

I V.

Contra vindictam transversalem in Urbe ejusque districtu sumentes, aut Cavalcatas, seu hominum collectas facientes, brigosofq., & eorum fautores.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Viros sanguineos, & dolosos abominabiles Deo, Sanctus Propheta testatur, nec immerito quidem apud Deum, & homines detestandi videntur, qui horrenda scævitia, & vindicta furore succensi, sanguinem sitiunt aliorum, & præsertim infantium, ita ut non solum corporum mortem procurent, sed etiam animarum, pro quibus Dei Filius mortem subiit corporalem, easque pretio sui sanguinis comparavit. Unde nos ejusdem Salvatoris vicem, disponente Domino, licet immeriti, obtinentes in terris, eisdem merito detestamur, & ad gregis Domini custodiam solliciti excitati vigiliis, animarum, & corporum salutis, & publicæ paci ac quieti, attenta cogitatione insistimus, ut perditorum hominum audaciam compescendo, animas simul, & corpora Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus.

Sane in Alma Urbe nostra, quæ sicut per sacram Beati Petri Sedem totius est caput Orbis effecta, ita ceteris urbibus quietis, & pacis norma, & exemplar deberet esse justitiæ, instigante diabolo pestiferum, & perniciosum malum irrepsit, ut si quando inter alios, etiam pro levissima causa, quam brigam vocant, rixam fuerit exorta, in qua alter alterum percussit aut vulneraverit, percussus aut vulneratus, hujusmodi offendens, patrem, fratrem, aut filium, seu alterum ex propinquis, injuriæ expertem, & plerumque offensionis ignarum, aut hujusmodi excessus plurimum indolentem, horribili immanitate, & furiosa dementia, in vindictam suæ injuriæ vulnerat, & interdum occidit, aut aliquis propinquorum offensus ad ultionem injuriæ propinqui sui, ut præmittitur, propinquum offendens vulnerat, vel occidit, vel vulnerari, & occidi facit, inde quoque juxta damnabilem abusum Civitatis utraque pars se domibus privatis includit, quas in contemptum Summi Pontificis, videlicet Principis, ac etiam Magistratum civitatis, armatis complent, & interdum fores domorum, & porticus stercat communiunt, ubi tamquam ad officinas aylum scelerum perdit homines, & scelesti, ex utraque parte conveniunt, illic rabida factio jungitur, atrocissimi scelestis immanitate concordans, illic dementia, & furia est, & venalis injuria, dum iis, qui nulla sunt injuria læcessiti, ad

Exordium.

Causa hujus constituit.

vindictam offensorum, insana mente, & ferali crudelitate conjurant. Ii sunt quorum veloces pedes sunt ad effundendum sanguinem, qui viam pacis non cognoverunt. Inter quos foeda, & obscœna commercia, alearum lusus, pecuniarum effusio, patrimoniorum dissipatio, dira blasphemiam, & obscœni aguntur incæstus: ex iis oritur regentium Rempubliam, & Magistratum contemptus, ac seditiones nonnumquam excitantur. Quod quidem ex alio veteri processit abusu, ut si quando hujusmodi rixæ, & offensiones intercedunt, non solum propinqui, atque conjuncti, sed etiam extranei utrique parti se offerunt, quod vulgo apud eos, & materno vocabulo, Fare de bene, nuncupatur, ex quo plerumq. totius civitatis studia, non sine gravi nota regentium, atque discrimine, reipublicæ, armantur adversus proximos, miseri spiritu diaboli repleti, omne jus humanæ societatis, omnem charitatem, omnem civilem concordiam damnabili abusu pervertunt.

§. 1. Nos igitur tam immani, & crudeli facinori, ac populi nostri peculiaris periculis volentes occurrere, & tam nepharios præsumptos debita animadversionis mucrone ferire, & ut tuta sit inter improbos innocentia, etiam in ipsis improbis formidato supplicio, refranetur audacia, ac nocendi facultas, ipsiusque Alme Urbis nostræ paci, & quieti, & tranquillitati consulere, ut scilicet ducta regimine, præservetur a noxiis, & optatis semper proficiat incrementis. Hac irrefragabili, matura, & perpetua valitura constitutione, statuimus, & ordinamus, ut quicumque deinceps Baro, aut Domicellus, vel civis Romanus, vel quævis alia Ecclesiastica secularisque persona, cujuscumque conditionis, & qualitatis existat, quacumque etiam atroci injuria læcessita pro sua, vel amici, aut propinqui injuria, vindicanda, patrem, aut filium, fratrem, aut propinquum, vel alias amicum, vel domesticum offendens, vulnerare, mutilare, occidere, vel quocumque modo, realiter, vel personaliter, offendere præsumperit, aut talia fieri fecerit, vel mandaverit.

§. 2. Similiter qui in Urbe Romana, vel in ejus districtu occasione rixæ, vel brigæ domum communire, armatos receptare, aut tenere, vel adherentes, & complices ac fautores brigæ accessere, seu quacumque conventionem, congregationem, & collectam hominum, ad ultionem injuriæ, invocare, excitare, invitare vel receptare præsumperit per se, vel alium, crimen læsæ Majestatis incurrat, & tamquam læsæ Majestatis, rebellionis, ac seditionis in Urbe concitata reus censetur, & habeatur, ac veluti talis à competentibus judicibus severissime puniatur.

§. 3. Ecclesiastici vero talia perpetrantes ab omni dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio sint ipso jure privati, & perpetuæ custodia mancipentur, beneficia eorum libere alii per illos ad quos eorum

Vindictam transversalem faciunt.

Collectam hominum adunantibus.

Pœnas hic de scriptas hic Pont. imponit. Tu scias pœnam excommunicationis absoluisse Sixt. v. citat. in rub.

rum collatio pertinet, conferantur. Omnesque præterea talia perpetrantes, & committentes, tamquam Christianæ religionis alieni, publicæ pacis æmuli, ab omni Populo, Civitate, Terra, vel loco, Ecclesiæ Romanæ mediate, vel immediate subiecto sint perpetuo diffidati, eorum bona tam mobilia quam immobilia sint ipso jure Camera Apostolicæ confiscata. Nulli præterea talium alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris Ecclesiasticæ vel mundanæ, seu ad alicujus loci regimen sit ascensus. Et ut magis famosa sit eorum infamia, factio testamenti active & passive sit eis interdicta; ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur, omni spe gratiæ, aut dispensationis adempta. Ac præter prædictas pœnas, sententiam excommunicationis, & perpetuæ maledictionis incurrant, a qua absolvi non possunt, nisi per Romanos Pontifices, præterquam in mortis articulo constituti.

§. 4. Illi vero qui ipsis offensis vel offendentibus seu brigosis adherere, favere, opem auxiliūve permittere, vel in in domibus aut Castris, locis, seu fortilitiis suis receptare, aut qui juxta vulgare, Far de bene, deinceps præsumpti t, tamquam fautores scelerum, & conspiratores adversus publicam pacem, omnino similis rebellionis, confiscationis, depositionis, privationis, inhabilitationis atque excommunicationis, & anathematis pœnas incurrant.

§. 5. Statuimus præterea, ut domos, & habitationes principalium offendentium, qui vindictam in alios ut præmittitur sumere vel exercere, vel etiam qui ex utraque parte domos ipsas munire, aut congregationes occasione brigæ & collectas hominum adunare, aut armis, vel armatis, seu stercatis, aut propugnaculis communiere ausi fuerint, in detestationem tanti facinoris demoliantur, & usque ad solum, ad perpetuam infamiam prosternantur, per hoc quoque secularibus, & aliis judicibus suis competentibus non adimimus facultatem utendi statutis & legibus adversus tales editis, vel edendis. Dignum est enim ut nefandi ratione flagitii, ultionis severitas extendatur, & propter enormitatem facinorum, & pœnarum modus exuperet.

§. 6. Ceterum volumus quod singuli in dicta Urbe rixam, seu brigam quomodolibet forsan in præsentiarum habentes, sufficientes, aut excitare molientes, cujuscumque status, vel conditionis fuerint, post publicationem præsentium in Curia Capitolii, & aliis publicis dictæ Urbis locis faciendam infra quoddecim dierum spatium super illa in dilectos filios ejusdem Urbis generales Pacerios nostros, ac Chericum de Chericatis Civem & militem Vicentinum seu alium per nos ejus loco forsan subrogandum aut deputandum, & de jure, & de facto juxta auctoritatem & arbitrium eorum, plenariè compromisisse, ipsorumque decisionibus, sententiis, &

Fautoribus eorum pœnas infligit.

Domosque eorum demoliri mandat.

Brigam habentes pacem inire jubet.

Tom. III. Par. III.

mandatis, quæ omnia, & rata & grata haberi, ac ab omnibus & singulis, quorum interest, vel intererit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari volumus atque mandamus, stare, & parere debeant, & teneantur. Decernentes nulli licere illis contradicere, nec etiam ab eis quovismodo appellare.

§. 7. Inhibentes nihilominus d' strictius ne aliquis per se ipsum aut quemvis alium directe vel indirecte, seu alio quovis quæsito colore contra pacem, & concordias, hæcenus initas & factas, vel securitates præstas, seu deinceps ineundas, ve ire, vel aliquid attentare, aut illas infringere quomodolibet præsumant, sub pœnis ultra Urbis statuta in hujusmodi facta pace contentis, ac præmissis, & aliis arbitrio nostro infligendis, quas rebelles & contrafacientes, ac pacem hujusmodi non servantes, eo ipso quo contrafecerint, irremissibiliter incurrant.

§. 8. Ad majorem præterea firmiteremque rei subsistentiam, & perpetuam observationem, volumus & mandamus, quod præsentibus nostræ l' tere ejusmodi voluntatem, ordinationem, & decretum nostrum continentes, in volumine Statutorum dictæ nostræ Urbis, de verbo ad verbum denotentur, & describantur.

Nulli ergo &c.
Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, Decimo Kal. Octobris Pontificatus nostri Anno tertio.

V.

Indictio Sacri belli contra Turcas.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

UT liberius Justissimum bellum contra ipsos Infideles, & Crucis Sacratissimæ spurcissimos hostes per san. record. Predecessores nostros, jamdudum susceptum, indictum, & publicatum quantum vires nostræ patiuntur prosequi possimus, & effrenatam eorum rabiem, impiisque arcere conatus, quemadmodum pro ipsius Salvatoris gloria, & cunctorum quiete fidelium præcunctis aliis rebus in nostræ mentis consideratione semper habuimus opportunè providere cupientes, & pacem inter universos Christianos componendam, compolitam verò tuendam, & servandam, permittenteque Altissimo, ad effusum sanguinis Christianorum, ipsiusque Dei nostri injurias propulsandas, Christianos omnes, & in primis Italiam ipsam inhabitantes veluti propinquiores hostibus prædictis excitare, atque impellere, quantum Pastoralis dignitati liceat affectuosissime

Pœnas hujusmodi fractores pœnas hic enunciat innotat.

Hunc libellum in Statutis Urbis describi mandat.

Det. P. A. 3. die 22. Sept.

Ex Raynal. de Continuar. An. 1710. Tom. XIX. pag. 192.

Decreta in Turcas ad Paul. II. expedi. tio.

Q

1467.

sime properavimus. Qua quidem in re, quid hactenus egerimus, quos Reges, & Principes, quos Potentatus praesertim Italiae convocaverimus, quae, & quanta eis curaverimus suadere, quo insuper animo, qua diligentia omni alio intermisso negotio, ad rem hanc dumtaxat componendam intenti fuerimus, quae, & qualia nos primò obtulerimus, & non solum publicatione, sed promissio e efficacis ad effectum usque perducta Ecclesiae pecunias, facultates, & bona Christianis, ad cohibendam Turcarum eorundem rabiem obstinatam ultro solverimus, exhibuerimusque, quas denique ad eosdem Reges, Principes, Potentatus, atque Dominia ad diversas mundi partes, & extra Italiam non sine maximis sumptibus duxerimus destinandas, quantumve in pace praedicta conservanda, atque illius federibus omnium Italorum partibus renovandis, resarcendisque infudaverimus, ac Legatis, Nuntiis, literis, & exhortationibus eos, quos praemissa concernebant, studuerimus commonere, aliorum sit enarrare: quae omnia tamquam notissima praetermittimus, ne ostentationi, sed utilitati, & unitati gregis Domini insistere videamur.

§ 2. Sed quoniam humani generis hostis zizanig fator, se ad obstitendum gloriosis rebus gestis, gerendisve solet accingere, quo ferventius Dei populus, fidelesque Catholici res saluberrimas amplectuntur, soletque supremam providentiae dispositio interdum ad probationem constantiae, & firmitatis credentium ipsorumque profectum permittere, quod tumidus aliquantisper praevalcat hostis, superetque fideles, ut tandem elatus inanimiter in superbiam corruat, & superatus suae divinitatis potentia penitus confundatur, ipsique soli Deo vivo, & vero sit gloria, ac populi Domini hereditas ejus una cum Principibus superna beneficia recognoscant, illiusque potentiae non propriae virtuti victorie decus attribuant, & propterea haec quoque summo optabamus affectu, huc usque nequiverimus adimplere de unanimi consensu Potentatum praedictorum, attendentes, quod magnitudo periculi, quod occasione ipsorum Infidelium Christianae reipublicae apertissime imminet, dissidentibus inter se Italici ceteris Principibus, & populis Christianorum persuaderi non potest, quod durante bello Italico nationum Principes aliarum, ullum sit verisimiliter subsidium allaturi, opitulante Altissimo ad renovanda, roboranda, & si qua forte dubietas, si quis serupulus inde emerferit reintegranda nationis Italiae pacis, & unionis federis eo enixius aspiramus, quo per plures Potentatus ejusdem nationis Legati apud nos pro hac re diuturno tempore institerunt, & ad nostrum Pastoralis officium pertinet dissidentibus Christianis populis pacem indicere, pacem praeferre, & predicare, atque superna nobis in hac parte potestate concessa illa observari facere,

Narrata ab eodem pro conciliandis Regibus, & Principibus.

Obsistere plurimum Italici discordiae.

Componendis his incumbebat Paulus.

Controversiarum difficultatum decisio ad Pontificem spectat.

1467.

& tueri, juxta illud, quod inter cetera in Deuteronomio praecipit Altissimus, ut si quod difficile, & ambiguum foret in causis, & dubiis judiciis faciendis, quicquid a Sacerdotibus postularet, & quae illi dicerent procul dubio facerent, nullique superbiere liceret, aut Sacerdotis Imperio eo tempore, quo ministraret, sub penis gravissimis contraire, & quod in Canone Agathensis Concilii legitur exaratum, quod si dissidentes inter se ad pacem revocari diuturna obstinatione nequirent, a Sacerdotibus Civitatis argui oportere primum: qui inimicitias depone-re perniciose intentione contemnerent, de Ecclesiae cetero justissima excommunicatione pellerentur, in ipso pacis auctore sperantes indubiè, quod filii prudentes illius eruditionis Evangelicæ, qua Dominus dicit, qui vos audit, me audit, nequaquam immemores Pastoris sui praecipui vocem intelligentes ad evitandum calamitates, & pericula hujusmodi atque majora, & ut bona plurima, ad quae omnis nostra aspirat intentio, subsequantur, pacem pronis animis amplectentur, cum juxta Beati Cypriani sententiam nemo possit Deum habere placatum, qui cum Fratribus non pacem, sed zeli discordiam habet, necnon obedientiam debitam nostris immo verius Dominicis monitis, & mandatis saluberrimis utilitatem ipsorum praecipue, & commoda concernentibus exhibebunt, & in hoc etiam arduo, difficultique negotio expeditionis praedictae singularem illam devotionem, & fidei sinceritatem, qua erga Sacrosanctam Romanam Ecclesiam antedictam, & Sedem Apostolicam, ac illi pro tempore praesidentem Antistitem habuerunt, experimento novissimo comprobabant, tandem Legatis omnibus Potentatum praedictorum apud nos longo tempore agentibus, ac saepe numero cum omni charitate auditis, post multos varioque tractatus praemissorum occasione peractos, ac super his habitam, & saepius repetitam deliberationem maturam, cum venerabilibus Fratribus nostris ejusdem Romanae Ecclesiae Cardinalibus nobiscum una provide considerantibus, necessarium, atque expediens fore ad cohibendos Turcarum conatus praedictos, qui peccatis facientibus auferri videntur in dies vota multorum, Regum, Principum, & Potentatum, quod non aliter, nisi pacata, ut praefertur Italia, huic communi periculo sunt auxilia praebitura, in unam convenire sententiam, unicam plurimorum potentiam efficere, viresque fidelium pro experientia praemissorum unanimiter experiri oportere, omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & totius caelestis curiae triumphantis, quorum praesidia pro gerendorum subsistentia humiliter imploramus, auctoritate deque nostrae, & Apostolica plenitudine potestatis inter universos Italiae, Potentatus, & Principes etiam si regali, vel quavis alia praesulgeant dignitate, & praecipue inter charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Regem Siciliae citra Pharam Regem illustrem, ac dilectos filios nobiles viros Christophorum Maurum Venetorumque Dominum, Galeatum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem, & communitatem Civitatis Florentiae ipsorumque Regis, & Ducum haeredes, & successores pacem perpetuam ab eis omnibus, ipsisque adhaerentibus, sequacibus, & subditis eorundem inviolabiliter observandam, & infra triginta dierum spatium a publicatione praesentium acceptandam harum serie promulgamus, & declaramus, illamque etiam unitatem, & concordiam perpetuam, omnemque armorum cessationem, & a quavis injuria, vel offensa abstinentiam, & quietem omnimodam eis, & ipsorum cuilibet indicimus, nuntiamus, atque injungimus, integram, & illaenam volentes, ac etiam decernentes, ipsosque Potentatus, & Principes nihilominus in Domino, & per viscera misericordiae Dei nostri exhortantes, eisque, ac dilecto filio de Pergamo nonnullarum armigerarum gentium Capiteo Apostolica auctoritate mandantes quatenus pro ejusdem Salvatoris gloria, & honore, ac nostrae, & Sedis Apostolicae reverentia Christianae reipublicae, & universale bonum privatis commodis, antepone-re, hostilia, quae in alterutros concitata sunt arma deponant, & deponi faciant cum effectu, a via facti abstineant, nec se invicem armis, neque injuria provocent, sed Regis pacifici se filios, & cohæredes esse commemorantes Christianam pacem observent, fraternam se amplectantur charitate, & diligant, repentes animis, quod ex concordia parva res crescunt, & discordia maxime dilabuntur, ac nos qui etiam cum omnibus Christianis, prout officii nostri debitum exigit pacem continuo habuerimus, & annuente Domino, quantum ad nos attinet simus in posterum habituri, pro majori tamen firmitatis robore, & observantia praemissorum, continuatione quoque ejusdem, quam semper nos partem fovere consuevimus, sed veluti mediatores, & conservatores, quemadmodum providum decet Pastorem, procurabimus, sollicitabimus, tum etiam pro ipsorum Potentatum reputatione, & honore, nos ipsos, & successores nostros canonice intrantes Romanos Pontifices cum omnibus Vassallis, Vicariis, Dominiis, Provinciis, Civitatibus, omnibus Terris, & Castris, ipsarumque Communitatibus, & Subditis, nobis mediate, vel immediate subiectis ita in ipsa pace includi volumus, & prout singulis de principalioribus Potentatibus antedictis includimus, ita etiam nos ejusdem pacis conservatores protectores, & defensores omnino etiam in posterum promittimus. Ut autem huic, ut speramus, acceptae paci, ac concordiae potiora adjiciamus roboram firmitatis, & ipsius perseverantia enixius procuretur, atque altera, & possitima intentio magnopere ponderanda,

Deo gratias esse nequit qui cum Fratribus exerceat inimicitias.

1467.

1467.

accelerandave principalem tenens locum in nostrae mentis arcano scilicet Christianorum tutio, & infidelium humiliatio superborum, cum sperata conversione ad Dominum optatum quantocius fortiatu effectum, inter Ferdinandum Regem, Duces, Dominum, & Communitatem praedictos, necnon dilectum filium nobilem Virum Borsum Ducem Mutinae, & Marchionem Estensem, ac quoscumque alios Principes, Civitates, Communitates, Barones, Milites, & Nobiles totius Italiae praedictae, qui infra quinquaginta dies similiter a publicatione praesentium numerandos sub pace, concordia, unitate, & confederatione hujusmodi includi voluerint, & veluti concordiae amatores, sub ipsius pacis amantitate letari, confederationem, unionem, intelligentiam, & ligam olim inter clare memoriae Alfonso Aragonum, & Siciliae Regem, quondam Franciscum Foscari, & Dominum Venetorum, Franciscum Sfortiam Vicecomitem Mediolani Duces, & Communitatem Florentinam praedictos initas, ac firmatas, ac per ipsum Ducem Mutinae postea acceptatas, & in quibusdam publicis Instrumentis in forma Capitulorum confectis contentas auctoritate praedicta ex certa scientia innovamus, reintegramus, stabilimus, & approbamus, ac ipsa confederationis, unionis, & ligae federa toto tempore Capitulis designato duratura stabilita, ac firmissima esse decernimus, & non modo a Potentatibus, atque omnibus aliis & singulis antedictis, sed & a dictis filiis Senensis, & Lucensis Civitatum Communitatibus, necnon quibuslibet tam nostris, quam aliorum Vassallis, Vicariis, & subditis Civitatum aliarum communitatibus, proceribus, Principibus, Baronibus, & nobilibus cujuscumque, ac ut praemittitur eminentiae, dignitatis, status, vel conditionis fuerint, infra similia quinquaginta dierum spatium includendis, & aggregandis, ac infra dictum terminum per documenta publica acceptantibus, quibus, & eorum singulis honorabilem, et convenientem locum juxta ipsorum qualitates reservamus, & quos ea ex nunc prout ex tunc auctoritate, scientia, & potestate praemissis includimus, & inclusos confederatosque esse declaramus, per praesentes inviolabiliter volumus observari, pro cuius rei stabilitate, & observantia potiori, nos cuius fiducia non in humanis praesidiis, sed tota consistit in Domino, qui nostros gressus pro sua Clementia, & universalem Ecclesiam orthodoxam mirum in modum tuetur, & protegit, inherentes Praedecessorum nostrorum vestigiis qui sub ipso unitatis, & concordiae initio federe bonis respectibus, ac ex rationabilibus, & urgentissimis causis tunc latius explicatis includi voluerunt, uniones, & confederationes praedictas ratas habentes, & gratas illas tenore praesentium acceptamus, atque eis munus caelestis benedictionis adjicimus cum inviolabili observantia praemissorum.

Concordiae interpretatio inter dissidentes se fore pollicentur Pontifices.

Veteris concordiae partitiones reintegratae.

Perpetua pax inter Italos Principes indicta.

Præterea licet præsentis Pacis concordie conditio, prout in misericordiam Redemptoris nostri confidimus universo Christianorum cætui maxima allatura sit commoda, maximum Christianis omnibus robur, & contra detestabiles Crucis, & Fidei Catholice evertores auctura sit animum, hostibus verò formidolosa, & illatura terrorem, quia tamen tumidus, & insolens hostis prædictus Turcarum Dux multarum gentium, quas suæ tyrannidi subjugavit numerositate munitus, ut illi præteritorum successorum prosperitate elato universi Christianorum potentatus, & principes præsertim ipsius Italice nationis eo efficacius, eoque validius resistere possint, & annuente Domino gentem perfidam expugnare, atque a finibus Christianorum expellere: pro majori quoque robore, & firmitate ipsius pacis Italiae, utque pro tuitione fidelium aliquod initium præbeatur, eundem Bartholomæum maturi consilii virum strenuum, & fidelem nostrum, ac ipsorum potentatum, quemadmodum alias pro reprimendis Turcarum eorumdem conatibus tractatum, & expedientissimum fore, tam a nobis, quam ab Oratoribus Potentatum eorumdem laudatum extitit, nostris, ac ipsorum communibus stipendiis expeditionis huiusmodi contra Turcas prædictos Generalem Capitaneum facimus & deputamus, sibi stipendia per nos, & Potentatus prædictos usque ad summam centum millium florenorum auri, in hunc, qui sequitur modum persolvendam constituentibus, & assignantes, videlicet nos, ut aliis præbeamus exemplum in tribus terminis scilicet Aprilis, Augusti, & Decembris annuatim summam florenorum similium Decem, & novem millium per Cameram Apostolicam prædictis Kalendis integre persolvendam dare; solvere, & assignare offerimus, ut bona fide pollicemur; & similiter præfatus Rex Ferdinandus totidem, Dux vero, & Dominium Venetorum totidem, Galeatius Sfortia Vicecomes Dux Mediolani prædicti totidem; priores libertatis, Vexillifer Justitiæ, & commune ejusdem Civitatis Florentine quinquaginta millium; reliqui vero tres prædominati adherentes, & confederati novem millium, videlicet duo primi ex ipsis tribus quatuor mille pro quolibet, & Communitas Civitatis Lucanæ præfata millium florenorum summam in eisdem terminis annuatim solvere teneantur, ita tamen quod idem Bartholomæus infra quinquaginta dierum spatium a notificatione præsentium computandorum Communitati Florentinæ prædictæ, vel eorum Syndico Dovadula, Mordianense vero, & Bubanus castra Comitatus nostri Imolenis, Dilecto Filio Taceo de Manfredis Civitatis nostræ Imolenis in temporalibus generali Vicario, absque ulteriori moræ dispendio restituat, & restitui faciat cum effectu, & insuper commissum sibi exercitum in Albaniam, sive Regiones decernendas sibi per nos, & Potentatus prædi-

Bartholomæus Coleo Italici in Turcam exercitus Dux creatus.

Centum millia aureorum stipendii attributa.

Ut portio prærata in singulos federatos dividenda.

Oppida occupata restituere Florentinis, & Manfredis restituenda in Albaniam Coleo Julius tradere.

ctos pro defensione ejusdem Catholice Fidei, & insolentis infidelium reprimendis, & fidelis Capitanei more concedere, & alia ad opus Fidei necessaria, & illius hostium profligatione conficere, necnon opus Dei, & ejusdem Fidei absque fraude, vel dolo, prout, & obsequenti animo pergere teneatur, & debeat sicuti consuevit, cui interim usque ad præfixitum tempus prædictum pro stativis, & mansionibus expediendi sui tripartiti exercitus, & armigerarum gentium prædictarum videlicet pro persona ipsius Bartholomæi, & una tertia exercitus prædicti, Christophori Mauri Ducis, & Dominium Venetorum prædictorum ultra Padum pro alia verò Ducis Mutinensis, & Marchionis ejusdem: pro reliqua autem tertia partibus Civitatum nostrarum Forolivii, Ravennatis, & Faventinae territoria assignamus.

Volumus autem quod idem Bartholomæus per se, vel Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum de officio prædicto, bene diligenter, & fideliter exercendo in nostris, ac aliorum Potentatum prædictorum manibus fidelitatis debitæ corporale teneatur præstare in forma solita juramentum. Ceterum ut præmissa omnia singula illibata serventur, in virtute Sancte obedientiæ, & sub anathematis, ac divine maledictionis interminatione, ac etiam interdicti sententiis, censuris, & poenis partibus ipsis, earumque adherentibus, confederatis, colligatis, fautoribus, sequacibus, & etiam colligandis, & confederandis, aliisque quorum interest, vel interesse poterit quandolibet in futurum, districtius inhibemus, ne pacis concordie, confederationis, & unitatis huiusmodi per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, aut quavis occasione, vel eam violare, turbare, aut eis quovis modo contra facere, seu venire præsumant.

Et si quod absit, quisquam præmissæ nostræ inhibitionis contemptor sive pacis concordie, confederationis, & unitatis prædictarum temerarius violator extiterit, si talia præsumens singularis cujuscumque eminentiæ, aut dignitatis ut præfertur, vel privata persona fuerit majoris excommunicationis, anathematis, & maledictionis eterne sententias, censuras, & poenas, quas ex nunc prout ex tunc in ipsos violatores, contemptores, atque rebelles sententialiter ferimus in his scriptis ipso facto incurrant a quibus præterquam per nos, vel Successores nostris canonice intrantes, debita tamen prius satisfactione præmissa absolutionis beneficium nequeant obtinere, ipsorum verò regna, & Domina, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Civitates, & loca, ac etiam quæcumque alia Domina, Civitates, & Oppida sub libertate viventes, eorumque Communitates, & Universitates interdicto in eis stricte observando subiaceant, & nihilominus pacis, con-

De bello strenuum in Turcam gerendo Sacramentum nuncupare.

Fædi Fragie Ecclesiastica exercitatio iurata.

concordie, confederationis unionis, & ligæ prædictarum iedera, quoad reliquos Potentatus & confederatos illa servantes violata minime censeantur, sed contemptore violatore, & rebelli uno, vel pluribus excluso, vel exclusis pax, concordia, confederatio, unio, & liga prædictæ quoad alios Potentatus, & confederatos firmæ, stabiles, & illibate perdurent juxta præmissa, & Capitulum continentiam prædictorum, adiacentes etiam prædictis, quod si hostis antiqui proditoris calliditate præmissorum occasione ambiguitatem aliquam, seu ex verborum significatione, vel alias dubietatis scrupulum exoriri contingat forsit in futurum, nobis, & ipsis successoribus sit libera, & plena facultas pro ipsarum partium quiete, ac pacis, concordie confederationis, & ligæ prædictarum subsistentia, & observatione firmiori, omnes, & singulas ambiguitates, & dubia nostræ declarationis oraculo tollere, & penitus amputare, interque potentatus ipsos differentias, controversias, & similitates, si, quod absit, occasione præmissorum emerferint, dirimere, terminare, ac decidere, prout nobis, & eisdem successoribus, pro omni præmissorum subsistentia necessarium visum fuerit, ac etiam opportunum, Capitulis ligæ alias in suo robore permanentibus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice MCCCCLXVII. IV. Nonas Februarii Pontificatus nostri anno IV.

V I.

Prohibitio alienandi bona Ecclesiastica, aut illa ultra terminis locandi.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Procurium.

Ambitiosæ cupiditati, illorum præcipue qui divinis & humanis affectatis, damnatione postposita, immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata ex quibus Ecclesiæ Monasteria, & pia loca reguntur illustranturque & eorum ministri sibi alimoniam vendicant, prophanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare præsumunt, occurrere cupientes.

§. 1. Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate,

Controversie dirimende facultas Pontifici reservata.

Conclusiones, Datum die Februarii Anno Domini 1467, Pontificatus nostri anno IV.

Procurium.

Prohibitio alienandi.

ac de fructibus, & bonis quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura constitutione fieri prohibemus.

§. 2. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innovamus, in suo nihilominus robore permanentibus.

§. 3. Si quis contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis & rebus eisdem quicquam alienare præsumperit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti, & tam qui alienat, quam is qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat, alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontifici vel Abbati præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus, & si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi, animo, quod absit, perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem, a regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterii cui præsidet in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus, Inferiores vero Prelati Commendatarii, & alii Ecclesiarum Rectores beneficiati vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus administrationibus, officiis, Canonicatibus, præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine secularibus, & regularibus beneficiis quorum res & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea private fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositionis Apostolicæ Sedis sint specialiter aut generaliter reservata, & nihilominus alienatæ res & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere revertantur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Martii Pontificatus nostri Anno IV.

Innovatio Constit. Prædecessorum.

Rescisio alienationum aliter fundarum, cum aliis poenis.

D. P. An. die 1. Martii.

Quod